QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. MAII, MAGISTRO IOHANNE AKAKIA, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

540

Cittâ laborantes grauidæ appetunt-ne similia?

CVI sensus inest huic & dolor & voluptas, quibus autem hæc & concupiscentia iucundi alicuius boni sed absentis appetitus. Iucundum quod efficit voluptatem, quæ est motio subita & stabilis in statu naturæ conuenienti. Concupiscentia quędam μετὰ λόγου, quædam ἄλογος: hæc nobis propter corpus naturâ inest, vt sitis & fames, vtriusque sedes ventriculi superius orificium; illa fit vel ab exuperante calore, vel à deficiente humore, hęc verò contra. Similibus vnumquodque seruatur vt & contrariis. Contrarium contrario alimentum. Licèt mutatio ex præsenti statu non auxilietur sano, idem tamen semper efficit exuperantiam constituti habitus. Siccior naturâ ventriculus cibis gaudens siccioribus celeriter fit sitibundus, cui amica est ὀλιγοποσία.

MORBORVM natura corporibus contraria, quicquid enim hominem molestiâ afficit hoc vocatur morbus, qui omnis vel ἐκ ἐν δυσκρασίᾳ, vel ἐκ ἐν διαθέσει, vtriusque φύσεις ἴσαι. Ventriculus infinitis morbis tentatur, καὶ ἀπὸ τῆς φύσεως ὄντων, vt ab humorum impurâ colluuie, quæ si eius tunicis firmiùs adhærescat, nō sine periculo in grauidis vomitu excernitur: καὶ ἀπὸ τῆς ἔξωθεν ἰκμάδος vt ab epotis venenis quibus non semper prodest vomitus. Imaginatio penes quam summa rerum potestas, & sine qua rei molestæ nulla perceptio, appetitionis proxima causa est: vtramque præcedit sensus, qui rei molestiam inferentis dolor, ad actionem lęsam minimè referendus, nuncupatur. Stomachus eximio sensu præditus, cui laboranti delirium affecti cerebri symptoma proprium succedit: inde cibi & potus varij appetitus.

VENTRICVLVS suo genio, id est sanguine quo solo nutritur, defraudatus biliosis, pituitosis atque serosis excrementis, quæ illi trahenti iecur mittit, impletur. Quodque à quóque trahit & in vnumquodque mittit. Excrementi virtus ἐλλιπὴς καὶ φθαρτική. Actionis læsæ tres tantùm modi. Ciborum appetentia aut dissoluitur, aut tempus consuetum non seruat, aut denique ad absurda edulia morbosæ partis temperiei contraria fertur, quod postremum appetentis facultatis vitium κίττα dicitur, cuius nulla curatio. Quæ morbi ratione ventriculum occupant temperaturæ hôc differunt ab his quæ naturales existunt quoniam contraria appetunt, non autem similia quemadmodum naturales. Esu calcis viuæ nonnunquam recreatur ventriculus nullâ viscerum offensione, quàmuis ipsa post vnum alterumue diem extincta ἐσχάραν faciat. Humidorum sublatio siccorum status est. Mulier cùm in ventre habet tota fit cum virore pallida & alienos cibos appetit, purior enim sanguis à toto corpore in vterum descendit & fœtui in alimentum atque incrementum cedit. De speciei propagatione magis sollicita natura quàm de indiuidui conseruatione.

CITTÆ efficiens causa in prægnante alia non est quàm puerperij purgamenta, quæ si parciùs quàm oportet fluant, tunc mulier viro calidior, acutâ febre prehenditur, ξύμπνοια μία: vomit pituitosa, amara & acria, ξύρροια μία: mente alienatur & deliria fiũt furiosa, ξυμπαθέα πάντα. Quolibet grauiditatis tempore eò ducendus humor quò natura vergit & magis confert. Asarum grauidis emeticum tutissimum, tutius Rhei infusum in decocto plantaginis, menthæ, betonicæ, myrobalanorum, calami aromatici, schoenanthi & florum cordialium. Vbi totum corpus plenum est per partem affectam vacuare grande nefas. Cuiusque partis naturam primarum qualitatum symmetria constituit, huic contraria est earundem ametria seu intemperies, quæ æqualis facta nullâ est medicabilis arte, inæqualis adhuc morbificis causis vehementiùs reluctatur & eis contrarium bonum votis omnibus expetit. Quod optimè se habet nullâ indiget actione vt bonum consequatur.

CONTRARIA contrariorum remedia. Reditus ab immoderatione ad temperiem in omnibus fit per immoderationem contrariam. Pituita salsa vigiles & sitibundos senes non famelicos reddit. Frigidi & humidi appetitus calidiores ventriculi affectus consequitur, quemadmodum calidi & sicci cupiditas frigidiores. Ventriculus frigidior plurimùm appetit minimùm coquit: ab imminutâ coctione pituita, caninæ appetentiæ causa, incrementum ducit. Morbosam famem & melancholiam vini veteris atque insigniter calfacientis liberalior potio soluit. Summè calido affectui frigidum in summo remedium paratur. Natura denique πολυμήχανος emoliri semper solet aduersus cuiusque exuperantiam auxilium per coniunctionem rei aduersæ, vt excessum vnius altero compenset & moderetur.

Igitur Cittâ laborantes grauidæ similia non appetunt.

9



Asserebat Lutetiæ GVILLELMVS GYON Parisinus. Anno R. S. H. 1616.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Conte.
M. Ægidius le Blanc.
M. Guillelmus de Vailly.
M. Johannes Maunoir.
M. Renatus Chartier Medic. Reg.
M. Andreas du Chemin.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.
M. Jacobus Cousinot.